



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 9. Quid Christus præmiserit institutioni Sanctissimi Sacramenti, vt
communicaturos doceret dispositionem ad communicandum necessariam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO IX.

*QVAE DIXERIT FECERIT-
que Christus ante quam sanctissimum
Sacramentum institueret, ut eorum
dispositionem nobis proponeret, qui
ad illud sumendum ac-
cedunt.*

PUNCTVM I.



ERPENDENDAE sunt
primò causæ, propter quas
pedum ablutio, præcesserit
sacratissimi sacramenti in-
stitutionem.

I.

PRIMA fuit, ut nos do-
ceret, quantam puritatem &
cordis munditiem, oporteat habere eos, qui ad
suscipiendum hoc sacramentum accedunt, ut
huius conuiuij participes fiant. ut non sint
contenti, si à grauioribus peccatis sint mundi,
sed quoad poterunt, deat operam, ut nec le-
uioribus sint fœdati: lauâtes pedes suos à pul-
ueribus, qui ex terrenis affectionibus illis ad-
herent. Cum enim Christus sit ipsa puritas,
par est summa, qua fieri poterit, puritate il-
lum recipere, lauantes nosipfos sacramento
confessionis, & aqua lacrymarum, eidem Do-

mino

mino supplicantes, vt ipse nos lauet, ac purget; vt ipsum dignè recipiamus. Expedi autem ad hoc imaginari Christum Dominum nostrum, idem mihi dicere, quod S. Petrus: *si non lauerote, non habebis partem mecum* in hoc conuiuio: quia non accipies eum fructum, & animi gaudium ex eo, quod illi accipiunt & sentiunt, qui mundi purique assistunt. O Deus animæ meæ, si hoc ita est, *non solum pedes, sed & manus & caput laua*, purga inquam cogitationes, opera, & affectus, vt sic purus & mundus conuiuio huic assistens, fructuum eius particeps fiam, Amen.

II.

Luc 7. 44

SECUNDA causa fuit, quod vsu receptum esset, cum quis alium inuitabat, pedes eius lauare, in signum humilitatis & charitatis: & idè Christus de Simeone illo Phariseo conquestus, dixit, *intraui in domum tuam, & aquam pedibus meis non detulisti*. Sub cuius laudabilis consuetudinis significatione, voluit Christus Dominus docere nos, eos, qui conuiuio huic adesse velint, debere ad ipsius imitationem, exercere se in magnis humilitatis & charitatis affectibus, quæ sunt optimæ duæ dispositiones, quas habere possunt humiliantes videlicet se coram Deo & hominibus, & ex totis visceribus Deum diligentes, & omnes homines propter Deum: exhibentes illis opera pietatis, cum reuerentia & charitate. Quare si vis anima mea, conuiuio Christi frui, discipulum primam lectionem, quam tibi ipse prælegit, cum

cum dixit: *Scitis quid fecerim vobis?* sequere ergo eius exemplum, ut fructum tibi adferat eius Sacramentum.

PUNCTVM II.

DEINDE considerandæ sunt causæ, cur agni paschalis cœna, mysticam cœnam præcesserit, in quâ fuit diuinum hoc sacramentum institutum, quæ fuerunt duæ, in quibus potuit figuratum figuræ respondere.

PRIMA causa fuit, ut intelligeremus, quod sicut agnus ille sacrificabatur, in gratiarum actione, ob acceptum à Deo beneficium, cû populus ille Hebræus, eductus est ex Aegypto, & captiuitate Pharaonis, & eius sanguine signabantur postes & superliminaria domorum, in quibus Hebræi habitabât, ut Angelus Dei, qui omnia primogenita Aegypti interficiebat, domos illas non tangeret, in quibus sanguinis illud signum videret; eius verò carnibus vescētes confortabantur, qui iter illud erant confecturi, ut in fortitudine illud inchoarēt & prosequerentur. Sic etiam Agnus iste Dei, cuius caro & sanguis est in hoc SS. Sacramento sacrificatur in Missæ sacrificio, in memoriam & gratiarum actionem ob supernum beneficium quod ipse Christus nobis contulit, eruens nos à captiuitate dæmonis, media passione & morte sua; cuius sanguine & virtute præseruamur à morte culpæ, & ab ipsa æterna morte,

& eius

I.

S. Thom. 3.
p. q. 75. ar. 6.

& eius pretiosa carne iutentamur & confortamur, vt Aegyptiacam seruitutem euadentes, nouam virtutis viam feruenter inchoemus, & vsque ad aeternam vitam prosequamur.

a Apoc. 13. 8.

O Agnus Dei, a *qui occisus es ab origine mundi*, non in ipsa tua humanitate sanctissima, sed in eius figuris; incipiens ab ipsa origine mundi, gratias & dona communicare, quae morte tua eras promeriturus, quid tibi reddam pro innumeris bonis, quae pretiosa tua morte mihi comparasti? nihil, Domine, pretiosius habeo quod dem, quam vt hoc tui ipsius sacrificium, tibi ipsi offeram, & *b calicem salutaris accipiam, & nomen tuum cum laude inuocem.*

b Psal. 115. 13

Libera me o Agne purissime a Daemonis seruitute, ne in domo animae meae, eius primogenitus, liberum videlicet arbitrium, extinguatur; conforta etiam me, vt per huius vitae desertum ambulem, vsque ad requiem aeternae gloriae.

II.

SECUNDA causa fuit, vt in esu Agni legalis, doceret nos dispositiones, requisitas ad edendum Diuinum hunc Agnum, in illo adumbratum. Nam primo *c renes* oportet *accingere* cingulo castitatis, & mortificare sensuales carnis voluptates: quia Agnus hic, vt castissimus est, ita maximè virginali puritate delectatur. Deinde *calceamenta habere in pedibus*, per cordis & omnium affectuum nostrorum custodiam, ne sordescant, & reuiterrenarum cupiditate inficiantur. Tertio *baculos in manibus tenere*, fiducia collocata in cruce

1.
c Exo. 12. 11.

2.

3.

Christi

Christi Domini nostri, & in eiusdem protectione & gubernatione, facientes opera, quæ diuinis eius oculis placeant. **PRAETEREA** festinanter est comedendus, festinatione videlicet feruoris spiritus, omnem tarditatem & laxitatem animi excutiendo, non acedia, tardio, aut fastidio, sed fame, & magno desiderio illum comedendi. **QVINTO** comedendus simul est panis azymus cum lactucis agrestibus, hoc est cum animæ puritate, sine vlla culpæ corruptione, & exercitijs mortificationis, carni ipsi amaræ. **DENIQUE** nihil eius comedendum est, crudum, nec coctum aqua, sed tantum assum igni: Non enim comedendus est nisi prius consideretur quid sit iste cibus, idque non frigida & rudi consideratione: sed tali

4.

5.

6.

d Psal. 38. 4.

His omnibus benè perpenfis, reflectar super me ipsum; vt erubescam, ob exiguam meam dispositionem, qua cœlestem hunc Agnum consueui comedere: contendam verd in posterum serid, exactiorem habere dispositionem iuxta illud Apostoli: **e quia Pascha nostrum immolatus est Christus pro nobis: itaque epulemur non in fermento veteri, neq, in fermento malitia, sed in azymis sinceritatis & veritatis.**

1. Cor. 5. 8.

PUNCTVM III.

TERTIO hoc loco reuocanda sunt in memoriam verba illa benevolentia plenissima, quæ retulimus dixisse Christum in principio cœnæ, & fortè ea dixit initio huius cœnæ sacramentalis: a desiderio desiderari hoc Pascha manducare vesiscum, antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei, quæ verba duo continent, quæ mirum in modum nos iuuant, ad sanctissimum hoc sacramentum suscipiendum.

a Luc. 12. 15.

I. PRIMVM est, quod magno & valdè vehementi desiderio sit accedendum, sicut ipse vehementissimè desideravit illud Pascha manducare cum suis: nam pretiosum ad eò Agnum par est vehementissima fame comedere ac desiderio, orto ex summa nostræ necessitatis, & infinitæ excellentiæ & dignitatis eius consideratione. Quia neque mea necessitate vllius maior esse potest, neque cibi excellentia præstantior, quam sit ipse: ideoque nullius tanta fames & appetitio esse debet, quam huius.

II. SECUNDVM est, vt ita Agnum hunc semper comedamus, atq; si tunc vltimò, nec amplius, nisi in ipso cœlo, esset comedendus; & propterea viaticum appellatur, quasi sumatur ab eo, qui ad aliam vitam migrare velit: quod si hoc affectu communicem, erit com

munio pia & fructuosa reuocanti in memoriam, quod ait Sapiens *b quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quae apposta sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo: comede in quā cibum hunc à caelesti Principe tibi oblatum, atque si iam cultrum haberes ad guttur, & prope esses vt exspirares. Et comede postquam inordinatas carnis appetitiones mortificaueris, & sicut te ipsa mortificares si certò scires, cibum illū futurū tibi postremū. O Rex caeli, quando me vis tecum supernae huic mensae assidere, tantum mihi praebe animi, vt affectiones omnes, quae indignum me ea reddunt, omninò abscindam, prae parans me ad hoc conuiuium, sicut qui est in procinctu, vt properet ad aeternum, in quo te fruar in saecula, Amen.*

b Prov. 23.1.

